



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

3 Iuramentum est duplex assertorium, & promissorium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- 21 Fidei professionem doctorandi emittere tenentur.
- 22 Episcopi, vicarij non recipientes à Doctõribus, & scholaribus fidei professionem, in graves censuras incurrunr.
- 23 Fidei professionis forma, quæ sit.
- 24 Fidei professionem ad cathedrales, & alias ecclesias assumendi, qui emittere tenentur.
- 25 Fidei professio à quibus intra duos menses præstari debeat.
- 26 Canonici fidei professionem non emittentes, non faciunt fructus suos.
- 27 Canonici fidei professionem non emittentes, fructus præbende amittunt.
- 28 Iuramentum, an sit licitum vel ne, cognitio spectat ad forum ecclesiasticum.

SPONSALIA, de quibus proxime egimus, sæpè firmantur iuramento, quare de iuramento hic dicere opportunum censemus. Iuramentum ideo, ut sit licitum, ¶ tres comites habere debet, iudicium, iusticiam, & veritatem, hoc est, ut verum sit, quod iuratur, sitque iustum, & cum reverentia debita ad eò fiat, non autem leviter, sed discretè, & ex causa necessaria, considerando locum, causam, tempus, & cæteras circumstantias, ut cum iudicio non præcipitanter, & temerè feratur. *cap. & iurabunt, 22. quæst. 1. Navarr. in c. 12. num. 13. tom. 3. & Graff. decis. aur. c. 3. nam 3. & 4. lib. 2. part. 2.* ¶ est enim iuramentum assertio, vel negatio de aliquo licito possibili, & honesto, sacræ rei attestacione firmato, Hostien. *in sum. num. 1. de iureiur.* ¶ & est duplex, assertorium, & promissorium, assertorium aliud de calumnia, & aliud de veritate dicenda; promissorium vero de faciendo, de persolvendo, de iudicio sili, & iudicatum solvendo, & his similia, ut per eundem Hostien. *§. quot sunt species. numer. 3. cod. tit.*

4 Iuramentum ¶ dividitur etiam in deliberatum, & solemnizatum, deliberatum, & non solemnizatum, & nec deliberatum,

nec solemnizatum. Deliberatum, & solemnizatum est, quando testes jurant ad sancta Dei Evangelia in præsentia iudicis, vel aliquis præstat iuramentum litis decisivum. Deliberatum, & non solemnizatum, quando quis in occulto iurat aliquid cum deliberatione, intendens illud per divinæ veritatis testimonium confirmare. Non deliberatum, nec solemnizatum est quando quis iurat in sermone, non attendens, quem invocet, & ad quid, sed quadam consuetudine. *Turrecrem. in c. habemus. num. 3. 22. qu. 1. & Graff. decis. 16. m. 1. lib. 2. par. 1.*

¶ Licitum efficitur ¶ iuramentum novem de causis, septem, propter bonum introducendum, & duabus, propter malum amovendum. Primò, pro veritate confirmanda, *ut c. non est. 22. qu. 1. c. quanquam. 14. quæst. 2. & cap. fin. de iur.* Secundò, pro veritate declaranda, quia in ore duorum, vel trium stat omne verbum *cap. licet. de test.* Tertio, pro pace confirmanda, *c. omne quod 2. 1. quæst. 1.* Quarto, pro amicorum animis conciliandis. *eod. cap. omne. & cap. novit. de iudic.* Quinto, pro fidelitate servanda, pro qua venerunt senes Jrael ad regem, qui percussit cum eis fœdus coram domino, *2. reg. cap. 5. & cap. significasti. de*